

bitanduni fuere expetiti, ut ex Vopisco patet; qui, displacebat,
ait, ei, cum esset Rome, habitare in palatio, ac magis placebat in hortis
Sallustii vivere. Alios, quorum non ita frequens in historiis me-
moria est, licet ex iis nonnulli Patavinis celeberrimis hodie in
Italia hortis splendore & cultura vix cesserint, lubens prætereo.
Non tamen possum, quin hic quoque ingens ætatis illius studium
faciendi sumtus redarguam. Ne enim quicquam, quod esset ubi-
que, Romæ deesset, non satis erat, superbas ac præminentibus æ-
dificare domos, non supra humanos visus extruere culmina, nec
nubibus inserere fastigia: Sed serebant insuper Romani rerum Do-
mini in summis turribus pomaria, quorum sylvæ in tectis domo-
rum ac fastigiis nutabant, inde ortis radicibus, quo improbè ca-
cumina egissent. Unde *Fabianus Papirius apud Senecam Rhetorem*
L. II. Controvers. 1. Quin etiam, inquit, montes sylvæq; in domibus mar-
cidis umbra fumoque viridibus. Quemadmodum verò arbores
vulgares summi pretii censebant; duo enim millia nummūm an-
nua una pomus, majore reditu, quam erat apud antiquos prædii,
referebat *Domino*, teste *Plinio lib. 17. c. 1.* ita majoris æstimava-
bant illas, quas deliciarum & ostentationis gratia alebant. Unde
Cn. Domitius L. Crasso solas decem tales æstimavit tricies se-
stertio, sive centies & quinquagies mille florenis. *Val. Maximus*
lib. 9. cap. 1. *Cn. Domitius L. Crasso* collegæ suo altercatione orta
objecit, quod columnas *Hymettias* in portico domus haberet. Quem
continuo *Crassus*, quanti ipse domum suam æstimaret, interrogavit; at-
que ut respondit, sexagies sestertio: Quanto ergo eam, inquit, mino-
ris fore ætimas, si decem arbusculas inde succidero? ipsa tricies sestertio,
ait *Domitius*. Quæ si ad nostram ætatem referas, quomadmo-
dum pleraque illius ætatis, vix apud quenquam fidem invenient.
Sed an nemo conatus est coercere istam tam effrenem luxurian-
di libidinem? Fecerunt hoc utique Imperatores, nam *Augustus*
Princeps, cum ambitionem in ædificando videret, atque altè at-
tollendo, eamque cum discrimine ruinæ: sive etiam, quia aërem
interciperent & nimis in umbrarent, coercuit, ut in *Strabone lib. 2.*
scriptum est, & septuaginta pedes definivit in modo ædificiorum.

• latid

Hunc